

**Dissertatio inauguralis de Adami logica, metaphysica, mathesi, philosophia practica, et libris / [Vitus Hieronymus Regenfus].**

**Contributors**

Regenfus, Vitus Hieronymus, 1692-1765.  
Feuerlein, Jakob Wilhelm, 1689-1766.  
Universität Altdorf.

**Publication/Creation**

Altdorf : M.D. Meyer, 1717.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/eukawjqm>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS

DE

ADAMI LOGICA, META-  
PHYSICA, MATHESI,  
PHILOSOPHIA PRACTICA,  
ET LIBRIS,

QVAM

DEO SVMMO ADIVVANTE,

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE IVBENTE,

PRÆSIDE

JACOBO GVIL. FEVERLINO,

PHIL. PRIMAE ET RATIONALIS P. P. LONGE CELE-  
BERRIMO, AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI  
P. T. DECANO SPECTATISSIMO,

DN. PATRONO AC PRÆCEPTORE SVO  
ÆTATEM COLENDO,

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONO-  
RIBVS PRIVILEGIISQVE RITE LEGITIMEQVE  
CAPESSENDIS,

PLACIDAE COMMILITONVM DISQVISITIONI  
SVBJICIT

VITVS HIERONYMVS REGENFVS,  
NORIMB.

DIE XIV JVNII, ANNO MDCCXVII.

---

ALTORFII,

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

VIRIS

ILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS AC PRV-  
DENTISSIMIS,

DN. CHRISTOPHORO FVRERO

AB HATMENDORF ET WOLKERSDORF,  
EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGVNTINI DIVERSORVMQVE  
S. R. I. PRINCIPVM CONSILIARIO INTIMO,  
ILLVSTRIS REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS TRIVMVIRO  
ET ECCLESiarVM EPHORO,

DN. GVSTAVO GEORGIO TEZELIO

A KIRCHENSITTENBACH, IN VORRA ET ARTELSHOFEN,  
SEPTENVIRO,

DN. JOHANNI CHRISTOPHORO  
DE IMHOF,

IN MERLACH ET STEPHANSMVHLEN,  
EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGVNTINI ET EPISCOPI  
BAMBERGENSIS CONSILIARIO INTIMO,

DN. LEONHARDO GRVNDHERRO

AB ALTENTHAN IN WETERHAVS,

ILLVSTRIS REIPVBLICAE PATRIAE  
SENATORIBVS CONSVLARIBVS,

ACADEMIAE ALTDORFINAE  
CVRATORIBVS SPLENDIDISSIMIS,  
GRAVISSIMIS,

*DOMINIS AC MAECENATIBVS SVIS*

*OMNI OBSEQVIO ANIMIOVE SVBMISSIONE  
PROSEQVENDIS,*

HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

D. D. D.

CLIENS EORVM OBSEQVIOSISSIMVS

VITVS HERONTMVS REGENFVS,  
NORIMBERGENSIS.





Nnus est & quod excurrit, ex quo iudicia eru-  
ditorum quorundam de Philosophia Adami exa-  
minare publica dissertatione ausus sum. Re-  
futavi primum illorum errorem, qui omnem  
in universum eruditionem humanam Proto-  
plasto tribuerunt; deinde, cum è partibus Philo-  
sophiæ reliquis Physica verosimillimis argumentis Adamo adscribi  
videatur, hæc ipsa paulo uberius discutienda, & solidius re-  
futanda duxi. Factum ita est, ut per temporis & spatii rationes  
ad reliquas Philosophiæ partes excurrere tunc non licuerit. Nunc  
vero, ubi ex decreto Amplissimi Ordinis Philosophici pro hono-  
ribus philosophicis rite obtinendis specimen inaugurale elaboran-  
dum est, atque ejusdem Excell. DN. Præsidis FEVERLINI  
præsidium, à quo prima defensa fuit Dissertatio, hæc quoque Pa-  
ralipomena sperare possunt, telam cæptam pertexere atque quid de  
Logica, Metaphysica aliisque scientiis humanis, quibus excel-  
luisse Adamus nonnullis videtur, sentiendum putem, exponere  
constitui. Faxit Deus, ut fiant hæc feliciter.

## DE LOGICA ADAMI.

### I.

**P**Rimus, qui Adami Logicam prædicare putatur, est Eu-  
sebius in præparat. Evang. Lib. XI. cap. VI. *περὶ τῆς παρ'*  
*Ἑβραίων τῶν ὀνομάτων ὀρθότητος*, cum de Adamo disse-  
ruisset, ita finiens: *videor mihi quasi in tabula, per ea*  
*quæ dixi, Ebraorum Logica doctrinæ τῆς παρ' Ἑβραίων λογικῆς de-*  
*scriptionem proposuisse, siquidem secundum Platonem non vulga-*  
*rium plebejorumve hominum sit, sed sapientis & dialectici Le-*  
*gislatoris propria nativæque rebus nomina invenire. Reliquum*  
est,

A

est, ut post Logica etiam Physica videamus Hebræorum. Suidas eo loco, quem Diff. prioris p. 7, 8. exhibuimus Adami inventum artes & literas, atque ἐπισήμας λογικάς τε καὶ ἀλόγους fuisse perhibet, quæ quidem verba de scientiis disertis & mutis intelligunt. Kochius autem in incremento Polyhistoris Logici p. 19. de scientiis quæ sermone utuntur & quæ sine sermone exercentur accipit, & p. 20. per ἐπισήμας λογικάς grammaticam, Rhetoricam, Poëticam, Dialecticam & Analyticam significari putavit, hasque scientias in sermone versantes conjunctas inter se atque connexas statuit. Mihi vero Suidas per scientias Logicas disciplinas philosophicas è lumine rectæ rationis petendas, per ἀλόγους vero theologicas non e ratione sed revelatione discendas intellexisse atque hinc Philosophiæ Rationalis, quæ instrumentum est reliquarum scientiarum, mentionem nullam fecisse videtur. Barth. Keckermannus in Præcogn. Logic. Tr. II. cap. II. ubi historiam Logices ab initio mundi usque ad currens Seculum texere incipit p. 35. edit. Hanov. 1609. 8. *Primos generis humani parentes & Patriarchas non dubito cum reliquis disciplinis etiam hanc suis posteris tradidisse, præsertim cum originis omnium rerum propiores tanto præstantiorem intellectum habuerint nostro ingenio atque intellectu, quanto & vitæ diuturnitate & valetudinis firmitate, & denique aëris, victus, ac rerum omnium è terra nascentium præstantia nobis, supra quam credibile est fuerunt feliciores.* M. Joh. Julius Struvius in Rudimentis Logicæ Hebræorum Jen. a. 1697. in 4. editis p. 10. *Nemo autem à me expectabit, ut nunc Logicam Protoplastorum tradere sustineam: nam quanquam eam in statu integritatis perfectissimam fuisse tuto asseverare possimus, nihil tamen de ea memoria proditum superest, nisi forte accuratissimam nominum impositionem, quam Plato in Cratylo Dialectico propriam esse dicit, cum Eusebio huc referre velis.* Plura Logicæ Adamiticæ argumenta p. 7. & 9. suppeditat, quia sunt, qui asseverant ipsos primos Pa-

rentes, publicis Scholis editisque libris scientiam posteris commu-  
nicasse, quod sine praeceptorum Logicorum notitia, scientia cu-  
jusvis directrice, docentium discentiumque magistra & librorum  
conscribendorum norma fieri nequeat. Scholas Adami in Hot-  
tingeri Smegmate Orient. p. 211. satis probari putat: Libros  
XXI, quos Kessæus de vitis Patrum Adamo assignat in Hot-  
tingeri Hist. Orient. p. 15. rejicit quidem ceu spurios, Hot-  
tingeri, Saldeni, Wagenfeilii, Vossii vestigia secutus,  
cum Saldeno tamen in otiis theologicis Dissert. I. de primo  
Scriptore haudquaquam verosimile putat universo illo tempore,  
quod Mosis antecessit aetatem, nullos plane libros librorumque scri-  
ptores extitisse. Quid tandem dicam de necessitate Logices in  
mutuis congressibus. Solem è mundo tollere videntur, qui Diale-  
cticam ex conversationibus hominum tollunt. Unde enim habes,  
quod accommodate interrogas, clare respondeas, utrinque apte di-  
catís, nisi Dialectica lumen sermonibus vestris faeneret. Cum au-  
tem ita nos esse natos perspiciam, ut inter omnes esset societas qua-  
dam, atque eo fine ipse summus rerum opifex primo Parenti ma-  
ture de vita consortio prospexerit, quis non mihi largietur, omní-  
aetate, qua homines terra aluit, Logica praecepta viguisse & gen-  
tem, qua sui originem antiquissimam probatam dare potest, merito  
de possessa primitus Logica gloriari. Jac. Frid. Reimmann in  
Critisirenden Geschichts-Calender von der Logica 1699. edito,  
anno mundi 1. Disciplinam Logicam in lucem hanc primum  
prodiisse scribit, cum Deus protoplasto facultatem essentias  
rerum conditarum clare & perspicue cognoscendi, verum-  
que à falso quam accuratissime discernendi indidisset, cujus  
specimen *ὀνοματοποίησις* Adami haberi debeat, quamvis ma-  
gnam hujus facultatis partem amiserit, cum à Satanae so-  
phismatibus decipi se passus esset. Mox ad eundem annum  
1. M. hæc profert: *Wiewol die Logic hernachmals nichts des-  
stomeniger ist fleißig excolirt worden / gestalt denn die natürli-  
che Begierde die Wahrheit zu erkennen / die sich bey allen Mene-  
schen*

schen insgesamt ereignet / uns zu glauben befiehet / daß die Leute vor der Sündfluth diese disciplin nicht werden verachtet; sondern soviel immer menschlich und möglich aus dem Staube hervorgezogen / und in formam artis redigiret haben / zumal da wir so viel glaubwürdige Zeugnisse finden ( conf. Keckermanni Præcogn, Log. p. 10. Rami Schol. Dial. p. 3. Rysselii Contin. Vossii de Sect. Philos. p. 125. ) daß sie 1. ) in Erfindung der andern Wissenschaften sich keine Mühe verdriessen lassen / 2. ) in der Inforination ihrer Kinder sich sehr emsig erwiesen. *Docere autem est veritatem communicare alteri.* Videtur autem mentem mutasse Reimannus in der Einleitung in die Histor. liter. Antediluv. a. 1709. edita, cujus p. 49. de Logica Adami id unice refert, Adamum fuisse à Deo conditum  $\omega$  Eccles. VII. v. ult. schlecht und recht und einfältig in dem Erkänntnus des Bösen / sed per Logicam Satanæ mutatum in Sophistam, & p. 132. ex historia Logicæ antediluvianæ hæc inter alia deducit Porismata, daß die Logica der ersten Eltern / die sie von Gott empfangen / nicht in der künstlichen Ausgrübelung und Beschaulichkeit vieler unnützen Wahrheiten / sondern in dem vielfältigen Gebrauch und lebendigen Anwendung und thätigen Ausdruck einiger wenigen und nutzbahren Wahrheiten bestanden / daß also dieselbe zu der Zeit keine disciplina instrumentalis, sondern principalis gewesen / & qui reliqui sunt lusus verborum. Reimanniani de Logica impropriissime dicta intelligendi, huc tamen etiam referri debent seqq. porismata p. 97. Protoplastos in statu integritatis non tam eruditos quam sapientes fuisse: eruditionem tum demum cœpisse, cum sapientia defuisset, p. 98. proverbium: Ars longa, vita brevis; ante diluvium invertendum fuisse, cum ars brevis, vita longa fuerit. Prolixissime omnium Logicam Adami describit V. Clar. Corn. Diet. Koch. in incremento Polyhistoris Logici cap. IV. quod historiam Logicæ Patriarcharum comprehendit. Non enim solam Logicam nat. p. 19. sed artificialem Adamo ad-

scribit: neq; etiam Logicam *certis definitionibus aut axiomatibus in formam artis redactam* p. 29, vel corpus ullum doctrinae scriptis consignatum; sed fundamenta saltem tum aliarum disciplinarum, tum artis rationis, eruditionis, interpretationis, inventionis, probationis, memoriae, iudicii & similium functionum mentis humanae ab Adamo posita fuisse atque observata asserit p. 31. Argumenta Kochiana haec sunt 1.) quia animalibus nomina dedit, quae res secundum Platonem est Dialectici, 2.) quia imaginem Dei cum perfecta cognitione habuit, unde artem ratiocinandi habuisse putandus sit, nisi forte Aristotelem Adamo prudentiorem fuisse placeat. 3.) quod & ingenio praestiterit & vitae diuturnitate & aëris victusque salubritate reliquis mortalibus, quibus rebus facultas & opportunitas contineatur artium inveniendarum & expoliendarum. 4.) quod literas ipsumque sermonem humanum invenerit, ars inveniendi autem ad Logicam referenda sit, atque incredibile videatur, tam multas res inveniri potuisse, ita, ut tamen praecipua nulla universalia, quae ad artem inveniendi pertinerent, animadvertenterentur. 5.) Quod Adamus & ceteri humani generis principes libros sive monumenta & Bibliothecas, & Scholas, & Academias suas sive eruditorum societates habuisse legantur, atque secundum aliquos Adamus viva tantum voce docuerit, atque hinc Cabbalæ autor fuerit, unde colligit, Adamum observasse quaedam, *ad artem docendi atque ad ordinis & methodi disciplinam* pertinentia, posterosque, qui superiorum monumenta legerunt, *facultate eadem interpretandi* polluisse, quae omnia ad Logicam referri debent. 6.) Quod cum posteris suis de virtute procul dubio *differuerit*, *solidaque argumenta* attulerit, 7.) Quod Evam אִשָּׁה à viro denominans loco topico, quem nominis vel notationis Dialectici vocant, utatur Gen. II, 23. III, 20. adversus Cainum dilemma adhibeat Gen. IV, 6. 7. 8.) Quod facultas e characteribus rerum naturam cognoscendi,



scendi, si qua est & in Adamo fuit, methodus fuerit sive via ad sapientiam expedita & ad Logicam referenda. An Celeberr. Joh. Petro Ludovici, qui in Polyhistore Logico nondum edito neque etiam, quantum ego quidem scio, expectando, sed in fine historiae rationalis philosophiae apud Arabes & Turcas tantum designato cap. I. Logicae Adami destinavit, & Excell. Christ. Thomasio in Introd. in Philos. aul. cap. IV, §. II. uti quidem rixosus Realis de Vienna sive latens sub hoc nomine M. Gabr. Wagner. putavit, (vid. Reimmanni Histor. liter. antedil. p. 50.) eadem haec sententia de Logica Adami adscribi possit, nunc uberius non dispiciam, ego vero valde dubito.

II. Praecipuum pro Logica Adamitica argumentum illud videtur esse, quod ab impositione nominum est desumptum, eo quod Platonis atque Eusebii autoritate innititur, de eodem igitur primo omnium dispiciemus. Plato, nimirum in Dialogo, qui Cratylus sive *περὶ ὀνομάτων ἰσότητος* inscribitur, docuit, quemadmodum textori, qui utetur radio, magis quam fabro, qui efficit, competit judicare, utrum conveniens radii species cuicumque ligno sit impressa, quemadmodum gubernatoris est dirigere atque dijudicare structuram navis, ita Dialecticum, qui interrogare scit atque respondere, id est nominibus uti, nominum impositioni optime praesidere eandemque dijudicare & apud Barbaros: haud leve quiddam esse nominis impositionem, nec id esse imperitorum & quorumvis hominum opus, cum nominum natura rebus competunt, & ille duntaxat nominum autor sit, qui ad nomen respicit, quod natura cuique convenit, potestque speciem eam literis syllabisque inserere. Cum vero Adamus nominum animalibus primus dederit, Eusebius jure meritoque inde colligere videtur, Adamum fuisse Logicum. Sed infirmum puto argumentum hoc varias ob causas 1) Eusebius, quantum e repetita lectione antecedentium & consequentium didici, nihil de Logica Adami habet, Mosem aliosque recenti

ores Hebræos cum Platone Lib. XI præpar. Evang. confert, cap. VI. posteaquam Platonis verba de impositione nominum proposuerat; *Platonem sane, inquit, Moyses antevertit, qui utpote sapientissimus non Legislator modo, sed etiam Dialecticus hac de re quid scribat accipe. Formatis igitur, inquit, Deus de limo cunctis animalibus terræ -- adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea -- -- Cum enim ait, ipsum erat nomen ejus, quid aliud quam appellationes, uti natura postulabat, inditas esse significat? Quippe quod jamjam impositum nomen fuerat, idem multo ante in ipsa natura inclusum fuisse, adeoque suam illam in appellato quoque appellationem autegressam esse declarat, quam deinde vir ille divino spiritu afflatus vi quadam superiore imposuit.* Ex ipsis igitur verbis Geneseos de animalium nominatione non tam Adami quam Moysis Dialecticam Eusebius elicit, Adamum vero ἐμφυλάουσαν divino Numine afflatum *δυναμει κρείττονι* vi superiore nomina protulisse statuit: secundum Eusebium igitur specimen humanæ sapientiæ atque Dialectices Adamiticæ putari nequit nominum inventio, cum divinæ revelationi eandem adscripserit. 2.) Quando Plato & Eusebius nomina rerum opus Dialectici putant, videntur Logicam intelligere utentem & quidem in eo significato, quo denotat *scientiam quandam specialem aut principalem (e. g. Physicam) juxta regulas & præcepta Logica doctis tractatam, cumque ea velut concrefcentem nomenque suum commutantem, ut Physica potius Logice tractata quam Logica audiat, quæ verba sunt B. Rœtenbeccii Log. Vet. & Nov. Proleg. §. XVIII.* Id mihi persuadent descriptiones Dialectici in Platonis Sophista, Phædro & alibi reperiundæ, & imprimis ipse sæpius citatus Dialogus, qui Cratylus inscribitur, quo autorem nominum Dialecticum fuisse perhibet, eo quod nomina rebus natura competentia protulerit, quæ res scientiam naturalem potius quàm rationalem indicat; siquidem præcipua ejusmodi *ὀνοματοφύτις* sapientia in noticia naturæ cujus-

que

que rei consisteret. Ita etiam Bochartus ( vid. Diff. prior de Philos. Adami putatitia p. 19.) e nominibus animalium Adami Physicam concludens locum Platonis citatum tanquam sibi consentientem laudat. Refutavimus vero Diff. sup. præcipue §. XI. ipsum hoc argumentum, atque ostendimus, nomina animalium hebraica, si quicquam rei ipsius, attributa quædam accidentalia vel propria, nihil minus vero quam naturam & essentiam cujusque animalis exhibere; eam vernam, quam de reliquo mirantur in primo nominum autore, sapientiam Etymologicam solidioris five Physicæ five Logicæ eruditionis documentum habere nequaquam possum, cum eadem in rudiores quosque cadat; quamvis etiam p. 34. ipsas has Etymologias, quibus adeo nonnulli delectantur, ab Adamo removerim, dum docui probabile admodum esse, nomina substantiarum & substantiva primum ab Adamo prolata, nomina accidentium vero & verba serius ab ipso aliisve addita & è prioribus desumpta fuisse. 3.) Lubens concedo, Adamum, si solus integram invenisset linguam eamque ita disposuisset, ut ideis, judiciis atque ratiociniis mentis humanæ, quantum fieri potuit, exactissime conveniret, atque occasionem omnem è vocibus in errores dilabendi ( e. g. absolutas putandi ideas, quæ relativæ sunt, positivas, quæ negativæ ) præscinderet, ex hoc quidem opere excellentem Logicum judicandum utique fore. Sed Adamum neque primum neque solum autorem linguæ primitivæ fuisse supra §. X. indicavimus, cum Deus primus ejusdem autor merito censeatur; fortassis etiam posterius Adami, prout necessitas postulabat, ad amplificandam expoliendamque linguam multum contulerunt: deinde linguam Adamiticam talem fuisse, qualem modo descripsimus, satis tuto affirmari nequit, cum linguæ ipsius pauciora supersint specimina, quam ut de ejusdem indole bene judicari possit, præterea lingua ejusmodi impossibilibus annueneranda, minimum plu-

plurimis ex altera parte difficultatibus, & incommodis, e. g. nimia vocabulorum multitudine premi videatur, dum una ex parte erroribus obviam ire atque incommoda quædam afferre conatur, per solam hanc regulam: *rerum majorem quam verborum rationem esse habendam*, feliciter obtinenda: Illustrari, quæ modo dixi, possunt per ea, quæ de Joh. Caramuelis Nova Dialectico Metaphysica Acta Erudit. Lips. 1683. p. 532. & Geor. Paschius in Inventis Nov-Antiquis p. 51. sqq. habent, scilicet. verbum substantivum *Sum* distinguit Caramuel a novis quinque verbis *Sam. Sem. Sym. Som. Sum.* ita ut *Sum* tò esse generice significet, *Sam* essentiam *Sem* existentiam *Sym* æternitatem simultaneam, *Som* actum physicum, *Sum* aliquam durationem, quod quintum *Sum*, *fus*, *fut* conjugat, ut à communi *Sum*, *es*, *est* distinguatur. His aliisque novis vocabulis puram veritatem omni ambiguitate exclusa statim concipi posse putat; quamvis in totam hanc inventionem non male applicari possint versiculi vulgares, quibus Excell. DN. Præsidis Avus DN. Conr. Feuerlinus, Antistes quondam Ministerii Norimbergensis adversus affectatos Novatores uti solebat:

*Sum, fus, fut*

*Ehut kein gut.*

*Sum, es, est,*

*Laß bleiben wieß gewest.*

III. Nunc de reliquis etiam Logicæ Adamiticæ indiciis sententiam nostram, paucis exponemus. Ea, quæ a perfectione primi hominis & vitæ ipsius diuturnitate sumta sunt, jam supra inter argumenta Panosophiam Adami in universum adstruentia retulimus atque discussimus §. VI. id nimirum iisdem concessimus, Adamo nonnullas Veritates necessarias maximeque utiles innotuisse, integra autem scientiarum systemata his de causis eidem tribuenda esse negavimus. Hæc adversus Keckermannum sufficiant. Quædam supra commemoratorum argumentorum, quamvis particularia sint;

Logicam naturalem, non vero artificialem, de qua nobis sermo esse debet, probant; huc refero, quæ Struvius de necessitate Dialectices in conversationibus, accommodatis interrogationibus, claris responsionibus protulit ad demonstrandam Adami Logicam; idemque quæ Clar. Kochius de inventis Adami artem inveniendi tanquam partem Logices supponentibus, de peritia ipsius docendi, facultate interpretandi, solidis argumentis atque Etymologiis proposuit: hæc enim omnia ita comparata sunt, ut ab Adamo e sola Logica naturali, quam sine dubio possedit præstantissimam, proficisci potuerint, præsertim cum hodiernum complures e sola naturali ingenii bonitate bene differere, varia invenire, prudenter docere, accurate interpretari, solide argumentari, Etymologias ingeniosas reperire videamus. Quædam vero ex illis argumentis falsa supponunt fundamenta, e. g. quod a scriptis Adami ratiocinatur, sub finem hujus dissert. uberius refutandum: huc etiam pertinet argumentum a signaturis rerum concludens. Joh. Frid. Helvetius Anhaltinus Cöthönienſis Medicinæ Doctör im Runden Schau-Platz der Arzeneiſchen Geſichtskunſt Heidelbergæ a. 1666, in 8<sup>vo</sup> edito doctrinas has Paracelsisticas, Crollianas & Gudrioicas de Tours (uti easdem in præf. appellat) quasi in Tabula exhibet; Osvaldus autem Crollius Archiater quondam Anhaltinus in Tr. de Signaturis rerum internis, Basilicæ Chymicæ annexo, apertis verbis Protoplastis absolutam rerum naturalium e signaturis scientiam adscribit: Cl. Kochius *ſi eſt aliqua, inquit, methodus ſane fuerit ſive via ad ſapientiam expedita, & ad Logicam referenda.* Verum obſervatio Halenſis XXIV. Tom. VI. egregie atque folide ſignaturas has rejecit, principia earundem confutans, atque exemplis quibusdam illuſtrioribus docens, convenientiam inter ſignum & ſignatum ſæpiſſime leviffimam imo nullam eſſe, & quandoque in ſola vocabulorum cognatione conſiſtere. Noſtra vero ſententia, ſi

revera sunt ejusmodi characteres rebus impressi; eorundem notitia Adamo non deneganda, sed ad Physicam ipsius aut Medicam scientiam potius quam ad Logicam referenda est. Reliquis argumentis vim suam non denego; a Kochiana nimirum scientia parum vel nihil nostra recedit; quamvis enim integrum Systema Logicum, inprimis Aristotelicis subtilitatibus, erroribus, ineptiis refertum in Adamo non statuamus, quemadmodum etiam in Socrate, a Philosophia morali celebratissimo Systema ejusmodi frustra quæres, aliquam tamen Logicam artificialem Adamo utique adscribendam puto. Dubium enim non est, quin divinam illam regulam γνάθι σεαυτὸν diligenter secutus vires intellectus sui, eximia Conditoris beneficia bene cognoverit, cumque per Logicam naturalem solide judicasset & ratiocinatus fuisset, per reflexionem modum accurate ratiocinandi didicerit, quæ doctrinæ magnam faciunt Logicæ artificialis partem. Deinde posteaquam a Satana maximo suo cum detrimento decipi se passus erat, sine dubio de his aliisque Intellectus imbecillitatibus earundemque causis altius meditari, & innato veri desiderio impulsus regulas excogitare cœpit, quibus suam suorumque mentem ab erroribus liberaret atque præservaret. Possent, quæ de Logica Adami disseruimus, illustrari per ea, quæ M. Godofr. Wegener Olsna-Silesius hanc in rem disputavit in Disquisitione fere integra Historico-Philosophica de Origine Logices Olsnæ 1667, 12. edita, quæ iam nunc ad manus meas pervenit, sed brevitatis studio id unicum annoto, diversas eruditorum de primo Logices Auctore sententias, quas Wegenerus recenset, uno tamen ore fateri atque docere, Logices tanquam peculiaris scientiæ ætatem multo antiquiorem Aristotele non esse statuendam, atque ex tenuibus ortam fuisse principiis, qua observatione denuo improbabilis redditur illorum assertio, qui Adamo Logicam Systematicam, ampliorem & a reliquis scientiis distinctam tribuunt.

DE METAPHYSICA ADAMI.

IV.

**N**Eminem hucusquē deprehendi, qui disciplinam hanc nominatim atque adhibitis peculiaribus argumentis Proto-  
 plasto adscriberet, paucissimis igitur de eadem dicemus. Si  
 Metaphysicam consideremus tanquam scholasticam illam  
 terminorum philosophicorum, idearum universalium do-  
 ctrinam, multa in eadem deprehendemus inutilia, noxia  
 erronea, minus congrua; pleraque vero ejusdem capita uti-  
 lia hodieque necessaria interpretationis gratia, ut scripta Ari-  
 stotelicorum terminis his referta intelligamus, atque ut ac-  
 curatius & sine suspicione Heterodoxiæ docere possimus, uti-  
 lia sunt; quæ vero omnia in Adamum non quadrant, pau-  
 cissimæ itaque supersunt Metaphysices particule, quæ citra  
 manifestam absurditatem primo parenti tribui possent. At-  
 que in tantum consentimus cum Reimmanno in Hist. liter.  
 Antedil. p. 60, 61. Metaphysicam Aristotelicam ab Adamo  
 removente, quamvis illud ipsius argumentum displiceat  
 quo e conceptu Entis latiore, ipsum Ens infinitum sub se com-  
 prehendente, Atheismum Scholasticorum elicere conatur  
 persuasissimus enim sum, veram de Numinis existentia & at-  
 tributis sententiam non obstare, quo minus per abstractio-  
 nem universalissimum folius existentia conceptum forme-  
 mus, eundemque Entis nomine exprimamus, atque per no-  
 vam abstractionem, quæ a negatione est remotissima, in  
 Deo id unicum tantisper cogitemus, eundem non esse fig-  
 mentum sed revera existere, dum enim conceptum Enti  
 Deo latiore statuimus, eo ipso nihil minus volumus, quam  
 extra mentem nostram dari Ens aliquod reale Deo prius &  
 antiquius, uti quidem Reimmannus sententiam hanc fini-  
 stre explicat, Prolixior nunc non ero in vindicanda Meta-  
 physica a reliquis minus accuratis objectionibus eadem p

61. in not. (r) legendis. Quod si vero Metaphysices nomine Theologiam Naturalem atque scientiam de spiritibus intelligas, lubentissime concedimus, quod etiam sub finem §. XI. in diss. priori fecimus, Protoplastum amplissimam suam historiam naturalem ad cognitionem & laudem supremi Numinis, inprimis divinæ Sapientiæ, Benignitatis, Providentiæ adhibuisse, atque hinc nostra facimus sequentia Summe Rever. Joh. Andr. Schmidtii verba in Apparatu Theol. Nat. §. III. not. (b) Antiquissima & perfectissima Theologia Naturalis fuit Adami, ob perfectissimum operationis subjectum, quamvis negari non possit, revelationes divinas, quibus Deus Adamum haud raro dignatus erat, necessitatem Theologiæ Naturalis Adamiticæ valde temperasse. Quod vero attinet ad scientiam Angelorum, dubium non est, quin Adamus eorundem existentiam atque proprietates perspectas habuerit, an vero ex revelatione, an per experientiam, an per ratiocinationem eosdem didicerit, incertum puto: minimum illa argumenta, quibus Thomas, Suarezius aliique existentiam eorundem a priori demonstrare nituntur, nullius momenti esse arbitror.

## DE MATHESI ADAMI.

### V.

**O**Mnem quantitatum scientiam primo homini largitur Athan. Kircherus Oedip. Ægypt. Tom. II, Class. II. cap. I, p. 45. hisce verbis: *Mathematicas quoque calluisse, nepotesque suos eas docuisse, pulcre demonstrat Genebrardus in Chronico, unde & illud Ecclesiastici de ipso dictum videtur: ipse enim Deus dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem Orbis terrarum, & virtutes Elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & consummationes temporum, morum mutationes, & divisiones temporum, anni cursus, & stellarum disposi-*



tiones, animalium naturas & iras bestiarum, vim ventorum & cogitationes hominum, differentias virgultorum, virtutes radicum & quaecunque sunt absconsa & improvisa didici, omnium enim artifex docuit me sapientia. Præ reliquis vero Astrologiæ laudem Adamo tribuunt; prioris Diss. p. 8. Locum R. Gersonis e Kirchero exhibuimus, quo Adamum inter alia Astrologum nominat. Joh. Gisenius in Vita Adami, excerpta Obs. Halens. XIX. Tom. I. primum hominem tanquam primum inventorem literarum, primum Astrologum, primum Grammaticum, primum Philosophum, primum Medicum, primum Theologum describit. Dav. Chytræus in Comment. ad Genesin p. 187. (vid. Acta Philos. p. 933.) *Florentissima*, inquit, *illius aurea ætatis Ecclesia & Academia fuit. Ac in tanta ætatis diuturnitate & ordinem motuum accurate observare & universa sapientia divina & humana studium confirmare Adamus & liberi nepotesque ejus potuerunt.* Celeberr. Gundlingius in Histor. Philos. Mor. Cap. VII. p. 60. tales depromit rationes, quibus Matheseos Adamiticæ assertores nitantur: *Vestes pellesque ferinas, lumbis suis circumposuit, ergo omnis Mechanices auctor est; Casam, tentoriumque exstraxit, ergo Architectus egregius dicendus; Cælum intuitus est; os sublime habuit, animalia cetera terram spectarunt, ergo Astronomiæ arcana & observationes insignes habuit.* Verum enim vero non satis mirari possum *ἀξιολογία* Kircheri e Sap. VII, 17. sqq. Mathematicam Adami eruditionem probaturi, cum ab initio ejusdem capituli ipse ille, cujus sapientia v. 17. prædicatur, describatur *homo progenitus ab homine primo ex terra factò, in utero matris figuratus, coagulatus sanguine ex semine viri, in fasciis educatus*, atque tum aliunde, tum etiam ex ipso hoc capite constet, Auctorem hujus libri Apocryphi lectoribus persuadere voluisse a Salomone eundem esse profectum, adeoque citata sapientiæ & eruditionis elogia de Salomone intellecta voluisse. Argumentum Chytræi prior. Diss. una cum aliis

aliis generalibus ratiociniis in gratiam Panfophiæ Adamiticæ excogitatis refutavimus: scil. ex eo capite, quod potuerit per vitæ diuturnitatem scientiam Astrologicam invenire atque excolere, non sequitur ergo voluit, ergo etiam id ipsum præstitit. Sunt e contrario non contemnendæ rationes, quibus ad negandam omnem Adami Mathematicam eruditionem inducimur. Primo enim ipsi Philosophiæ Patriarchalis assertores de inventione Astronomiæ inter se dissentiunt, atque incerti sunt, dum aliqui ex autoritate Jos. L. I. Antiquit. Jud. cap. III. Setho; alii Enocho, alii Egregoris eandem adscribunt, vid. Reimnanni Histor. lit. antedil. p. 67. sqq. deinde cum Deus ipse structuram arcæ Noachum, templi Davidem docuerit, Bezaleelem & Ahaliabum peculiari sapientia supernaturali Mechanica ad conficiendum tabernaculum exornaverit, quis sibi persuadeat, has similesque artes & scientias Mathematicas jam pridem ab Adamo ejusdemque posteris inventas fuisse atque excultas. Porro originem scientiarum Mathematicarum Adamo imo ipso diluvio multo fuisse recentiorem, ii docent, qui Matheseos historiam ex instituto tradiderunt e. g. Joh. Rudolph. Fasch Centurio & Architectus Militaris im Vorschlag / wie ein Fürst seine adeliche Landskinder in der Mathesi unter einer wohl eingerichteten Verfassung unterrichten lassen könne. Dresdæ a. 1715. 4. cujus pars prior & prolixior historicam Introductionem in scientias Mathematicas egregiam comprehendit; discimus exinde Geometriam, fundamentum reliquarum, ab Ægyptiis occasione inundationum Nili sui productam fuisse, ex tenuibus vero constitisse initiis jejuna Thaletis Milesii Geometria, quam ex Ægypto petiit, docere potest. Astronomia, quam ab Adamo Abrahamus, ab hoc Ægyptii & Chaldæi, atque ab his Græci per traditiones didicisse feruntur, penes hos satis adhuc rudis multisque erroribus, hodie dudum devictis, repleta fuit, uti e Plutarchi de placitis Philosophorum Lib. II. &

II. & III. constat, ut admodum recens tunc temporis fuisse merito ex his indiciis colligatur. Satis igitur probatum puto in Adamo Mathematicam eruditionem vel nullam vel admodum tenuem atque exiguam fuisse. Conf. quod Gundlingius de Mathesi Veterum Hebræorum differit. l. c. p. 69. sq.

## DE PHILOSOPHIA MORALI ADAMI.

### VI.

**M**irum esse nemini potest, hanc Philosophiæ partem, quæ de virtute & moribus præcipit, Protoplastis esse assignatam: hæc enim & statui integritatis & statui lapsus maxime omnium convenire videtur. Id vero admirandum & singulare puto, autores in adstruenda Panfophia & Philosophia Theoretica & Instrumentali Adami prolixissimos, in Ethica parcissimos extitisse, ita quidem, ut vix nomen Philosophiæ Practicæ in numero scientiarum Adamiticarum apud Lambecium, nullum autem peculiare ejusdem argumentum vel specimen alicubi annotatum reperire mihi hucusque licuerit: videntur scilicet in ea fuisse opinione, Adamum de virtute & moribus e revelatione divina satis eruditum Philosophia Morali non opus habuisse, vid. excerpta e Polyc. Lyseri Adami in Obs. Halens. XIX. Tom. I. §. VI. Ex alio autem fundamento studia Philosophiæ Moralis ab Adamo aliisque Patriarchis removet Henr. Jul. Scheurl in Bibliographia Morali; cum enim Aphorismo IV. tres hujus studii vias constituisset, quarum prima virtutis præcepta viva tantum voce tradiderit & propagaverit, Aph. V. de prima via pergit: *Et sane priscis sive Heroicis istis temporibus Optimi quique bene agere quam bene disserere aut disputare malebant. Præcepta erant paucissima. Imo præceptorum gnari plures tunc nascebantur, quam hodie fiant, ubi præceptorum, dogmatum & legum, neque legem neque numerum neque modum habemus. Uno verbo: Antiquissimi quique non tamen eruditionis*

tionis aut legum, quam probitatis, justitia, constantia reliqua-  
rumque virtutum consulti erant. Nunc Seneca illud de multis  
vere dicitur: Postquam docti esse cœpimus, boni esse desimus.  
Consentit Clar. Heumannus in Actis Philosophorum, cujus  
Partes V, VI, VII, singularia continent de Philosophia Pa-  
triarcharum capita, ad illustrandam Diss. præsentem æque ac  
prioriorem (quæ ante laudatas Actorum Philos. partes publi-  
cam lucem aspexit) utilissime applicanda. De Ethica autem  
Patriarcharum Part. V. p. 769. his verbis utitur: In der Ethic,  
das ist in der Tugend-Lehr waren sie Ascetici. Sie hatten pa-  
rum scientiæ und multum conscientiæ. Neque dissentit  
Gundlingius in citata sæpius Histor. Phil. Mor. Cap. VII. p. 59.  
alia proferens: *Morum Philosophia simplex, religionis undique  
vestigia, Prophetarum vix finitus numerus*, quibus p. 72. hanc  
subjicit explicationem: *Cum dico morum Philosophia simplex,  
non taxo aut contemno eorum instituta, sed laudo potius. Ne-  
que enim illa Philosophia aliquid gloriæ meretur, qua sesquipe-  
dalibus verbis incedit, aut obscuris & Metaphysicis involucris  
conceptus suos involvit - - Paranetica methodus maxime natu-  
ralis est, omnibusque veteribus fere communis.* Nostra sententia  
hæc est: Adamum judicio pratico excelluisse, Deumque  
& semetipsum penitus paulo cognitum habuisse, e connata  
ipsius perfectione supra demonstravimus; inde jure merito-  
que colligimus, eidem leges divinas naturales solidis ratioci-  
niis facile innotuisse; paucas tamen easdem fuisse, eo quod  
solis positivis præceptis opus habuit, nullisque negativis indi-  
guit, quorum necessitatem mali demum mores introduxe-  
runt. Per lapsum vero naturales ipsius vires debilitatas,  
non sublatas, & præcipue memoriam pristinorum dogma-  
tum non deletam fuisse arbitror, quamvis Joh. Petr. Ludo-  
vici in Diss. cui tit. Historia sine parente §. I. not. (g) Intelle-  
ctum Adami lapsu ita depravatum putet, ut majus lumen  
non habuerit, quam hodie quivis alius informatione & ex-  
ercitio nondum eruditus possideat: vid. Acta Philos. P. VI. p.

937. Multo potius cum proprio peccato alienisque periculis cautior redditus fuerit, Philosophiam suam Moralem præceptis negativis, quæ ceu confectaria affirmantium dicit, & cognitione vitiorum Voluntatis, causarumque hujus corruptionis non potuit non auxisse.

## DE POLITICA ADAMI.

### VII.

**H**anc scientiam ratiocinando in Adamo deprehendisse sibi visus est Ge. Hornius in Hist. Philos. Lib. I. cap. II. p. 8. posteaquam enim Physicam atque Dialecticam Adam laudaverat; *Jam Oeconomia, pergit, & Politica summa erat ἀκριβεια: homo vero tum vel maxime ζῶον πολιτικόν. Quod antiqui Mythici aureo quodam seculo, ubi sponte sua sine lege fides rectumque colebant, adumbrare solent & ob oculos ponere.* Gundlingius l. c. p. 51. tale refert pro Politica Protoplasti argumentum: *Familiam rexit, ergo πολιτικώτερος quam Tacitus fuit aut recentiorum alius.* Antequam de his nostram exponamus mentem, præmittenda atque decidenda videtur illa quæstio an ante diluvium & Adami imprimis tempore fuerint Republicæ & Societates Civiles? Jac. Thomafius in Præfationibus Lips. 1681. in 8. collectis, Præf. XVII. asseruit etiam in *Statu Integritatis*, siquidem diutius perdurasset, *futuras fuisse Respublicas.* Reimmannus in Hist. lit. antediluv. p. 72. contra Puffendorfum (qui in Introd. ad Hist. Europ. ab initio, ante diluvium ullam Remp. fuisse civili Imperio legibusque descriptam, & præter domesticum patrum familias Imperium ulla Principatus vestigia occurrisse negavit) defendit Respublicas Antediluvianas: quamvis vero utramque Thomafianam scilicet & Reimmannianam sententiam falsam esse existimari superiori tamen earundem examine hoc loco supersederi possum: certissimum enim est ante lapsum nullam extitisse Remp, Reimmannus vero Respublicas suas Antediluvianas

ad Adamum usque extendere non audet. Ponamus ex superfluo, familiam Adami universam fuisse instar cujusdam Reipublicæ, quam prudentissime rexerit auctoritate Paterna atque Prophetica, educando atque instruendo liberos in timore Domini omnibusque virtutibus, corrigendo & castigando eosdem, quotiescunque deliquerint, prospiciendo ipsis de necessariis vitæ subsidiis, assuefaciendo agriculturæ atque pecudum curæ; per me licebit hanc ipsius prudentiam nominare Politicam, si vero eandem cum hodierna comparabis eruditione, Oeconomicam potius dicendam agnosces, quam si penes Adamum peculiari scientia & quidem in formam artis redacta opus habuisse putabis, injuriam facies Adamo, eumque deteriorem atque inferiorem concipies hodiernis patribusfamilias, qui sine scientia, sola judicii bonitate naturali atque experientia ducti, rem familiarem feliciter gubernare norunt. Illud vero, quod Hornius suggerit argumentum, hominem esse ζῶον πολιτικόν, eo in sensu accipimus, ut homini societatis amorem naturalem & quasi innatum, huic ipsi vero desiderio per conjugalem aliasque minores societates satisfactum esse putemus, sed ex eodem capite Rempublicam & Politicam Adamiticam solide satis probari negamus atque pernegamus.

VIII. HISTORICVM faciunt Adamum ob Scripta quædam historica, quæ posteris reliquisse fertur. vid. Reimmannus l. c. p. 79. sqq. cadet vero hoc argumentum quando §. seq. νοθείαν librorum Adamiticorum detexerimus. Id unicum hoc loco monemus, si historiæ nomine intelligere velis memoriam rerum vel a nobis ipsis vel ab aliis per vitæ nostræ spatium nobis videntibus & audientibus gestarum, Adamum sine dubio ob ætatem 930. annorum insignis historici titulum promeritum esse. Sed neminem facile deprehendes, inprimis quando de historia eruditionis agitur, hoc conceptu utentem. De GRAMMATISTICA, GRAPHICA, GRAMMATICA, ORATORIA & POESI ADAMI,

MI, de quibus Reimmannus in citata sæpius Hist. lit. antedil. videri potest, nihil addimus, partim quod hæc disquisitiono magis ad Philologiam quam ad Philosophiam Adami referenda esset, partim quod fundamenta & specimina harum artium jam nunc a nobis destruentur,

## DE LIBRIS ADAMI.

### IX.

**I**Nter argumenta Philosophiæ Adamiticæ haud postremum est, quod a Libris ipsius desumitur, si quidem vera est fabula. Struvium atque Kochium exinde Logicam ipsius collegisse supra §. I. annotavimus; cumque non tantum sacræ sed etiam humanæ eruditionis argumenta in scriptis suis tractasse feratur e. gr. *de Alchymia sive Chrysopeia* vid. Joh. Christ. Wolfius in Biblioth. Rabb. p. 113. & Joh. Alb. Fabricius in Codice Pseudep. V. T. p. 32. de cultura terræ vid. Fabr. l. c. p. 5. inde certiora perfectioris Philosophiæ Adamiticæ indicia peti posse videntur. Non erimus nunc prolixi in enumeranda Bibliotheca Adami atque excerptis specialibus iisque manifestissimis novitatis atque suppositionis characteribus, quos libri isti lectoribus suis suppeditant, de his enim evolvi possunt Petr. Lambecius in Prodomo Hist. liter, Joh. Lohmeierus de Bibliothecis, Jo. Henr. Ursinus in Diss. de Zoroastre, Hermete Trismegisto & Sanchoniatone, Scipionis Sgambati S. J. Neapolitani Archiva Vet. Test. (vid. Acta Erud. Lips. a. 1705.) M. Pauli Christiani Hilscheri Schediasma de Adami Bibliotheca, Joh. Andr. Schmidtii Pseudo-Vetus Testamentum, Jo. Alb. Fabricii Codex Pseudo-epigraphus Vet. Test. & Reimmanni Histor. liter. Antediluv. Producemus tantum universalia argumenta, quibus omnium horum scriptorum autoritatem satis superque destrui putamus. Primo enim primi, qui Adamo reliquisque Patriarchis libros adscripserunt, autores Josephus, Philo, Aristobulus, Eupolemus, Demetrius & Alexander Polyhistor (vid. Acta Philos, P. VII. p. 6.) multo fuerunt recentiores, & fabula-

bularum inprimis gentis suæ Judaicæ gloriam amplificantium  
 multo amantiores, quam ut testimonium ipsorum fidem me-  
 reri possit. Secundo Moses reliquique Scripturæ S. libri alia mi-  
 noris momenti referentes, atque recentioris ævi libros, e. gr.  
 Chronicorum in libris Regum allegantes, de Scriptis vero A-  
 dami & Patriarcharum ceterorum silentes luculenter docent  
 tale nihil extitisse. Tertio eruditissimus Heumannus in Actis  
 Philosophorum P. V. p. 800. ante diluvium non tantum, sed  
 etiam ante Jacobi Patriarchæ tempora ullam scribendi artem  
 cognitam fuisse conjecturis verosimillimis negat. Primum  
 ipsius ratiocinium hujus est tenoris: Tobias junior a patre mis-  
 sus ad externos, ut debita exigeret, Chirographum a patre acce-  
 pit, ut fides ipsi a debitoribus adhiberetur Tob. V, 2. quis vero  
 sibi persuadeat, Abrahamum Eleazarem suum sine litteris &  
 loco earundem cum camelis aliisque preciosis ad petendam fi-  
 lio sponsam ablegaturum, Jacobum & Rebeccam filium su-  
 um Jacobum sine Epistola ad Labanem missuros, Jacobum &  
 Josephum Pro-Regem Ægypti omne literarum commercium  
 intermissuros, Abrahamum contractum emtionis, Isaacum &  
 Jacobum pacis conditiones literis non consignaturos fuisse,  
 nisi literas ignorassent? Deinde cum Gen. XLI, 49. commea-  
 tum ob maximam multitudinem numerari non potuisse le-  
 gamus, Heumannus hujus rei rationem hanc unam excogita-  
 ri posse statuit, quod ingentem modiorum numerum neque  
 memoria retinere, neque scribere potuerint. Tertiam ratio-  
 nem propriis auctoris verbis exprimat: Wann lange vor Mose  
 unter denen Hebræern die Schreibe-Kunst gebräuchlich gewesen  
 wäre/ so würde auch Gott der Herr sein Wort schriftlich haben  
 verfassen lassen. Dann zu geschweigen/ daß dasselbe am allerwürdig-  
 sten ist/ aufgezeichnet und denen Menschen immer vor die Augen ge-  
 leget zu werden; so wäre auch der Providenz Gottes gemäß ge-  
 wesen/ durch dieses Mittel denen Verfälschungen der Religion  
 vorzubauen; gleichwie eben dieses durch Mosen und die Prophe-  
 ten/ und hernach auch durch die Apostel Christi geschehen ist. Da  
 nun



nun Moses die erste Heilige Schrift verfertiget / so kan ich meines Orts keine andere Ursach hiervon geben / als weil vor Mose die ars scribendi noch unerfunden war.

X. Ita mediam per duas Dissertationes calcavimus, atque ni fallimur, satis munivimus viam inter Socinianorum, Arminianorum & Helmontii errores, Adamum etiam ante lapsum supremæ ignorantiae accusantes, atque inter Præjudicium vulgare, Protoplasto omnem eruditionem humanam, systemata atque libros adscribens. Paucissimis nunc addemus causas, e quibus Præjudicium hoc originem suam traxisse tamque late serpsisse videtur. Primam igitur causam putamus eruditionis atque sapientiae confusionem: dum enim perfecta sapientia Adamum exornatum fuisse legunt, eo ipso omnem etiam Theoreticam Philosophiam de ipso prædicari putant. Secundam causam arbitramur præjudicium illud consuetudinis de perfectione status præsentis (cum tamen multa sint in eruditione hodierna inutilia & mala necessaria, quorum ignorantia in primo homine perfectio putari debet) et necessaria convenientia status primi cum præsentis, de quo Obs. Halensis XIX. Tom. I. §. VII. seqq. Summe Vener. Buddeus in Hist. Philos. Ebr. atque in Proleg. ad Hist. Eccl. V. T. ab initio, & prolixius paulo Acta Philosophorum Part. VI. p. 927. seqq. egerunt: quibus illustrandis nihil nunc addimus præter elegantissimum B. Lutheri locum e Tomo I. Jenensi fol. 124. in Actis Philos. P. III. p. 434. excerptum: *Abraham, inquiunt, docuit Ægyptios Philosophiam, ut testis est Josephus. Quasi Josephus nunquam excesserit verum, præsertim tam anhelus Judaicæ gloriæ appetitor. Non est credendum sanctos illos viros Astronomiæ, multo minus Astrologiæ, operam dedisse. Sed Josephus videns, hujus scientiæ opinionem apud Graecos extolli et in gloria esse, fingere visus est voluisse, quomodo etiam in hac re Judæi Graecis non impares, sed superiores essent; quod in omnibus aliis quoque facere conatus fuit, quae ad vanam gloriam pertinent.*